

de filiis presb. & c. 1. eodem tit. in 6. Excipe, nisi fiant Religiosi; tunc enim possunt sine dispensatione promoveri ad omnes Ordines, non tamen ad Prælaturos c. 1. cit. de filiis presb. Quantum ad proles expositas regulariter habendæ sunt pro illegitimis, consequenter pro Irregularibus; quia ex communitate accidentibus jure præsumitur esse illegitimas, & hæc fortior præsumptio elidit præsumptionem, quæ aliis in pari dubio esset in favorem proliis. Ad hanc iterum Irregularitatem pertinet servitus. Servus itaque, seu mancipium, ordinari non potest sine consensu Domini: si cum ejus consensu ordinetur, sit liber; si sine ejus consensu, potest se redimere: quod si se non redimat, satisfacit Domino exhibendo ei obsequia, quæ ejus characterem non dedecent: tota Distinct. 54.

Ex defectu animæ sunt Irregulares non solum Hæretici, eorum fautores, & receptatores, & Hæreticorum filii, ut jam dictum est, sed etiam omnino illiterati Cap. *Illiteratos* D. 36. & Concil. Trid. sess. 23. c. 4. 11. & 14. Requiritur autem pro prima Tonsura initiandis, quod sciunt legere, & scribere; pro minoribus Ordinibus, quod callent linguam latinam; pro Sacerdotio, quod sciunt, quæ sunt necessaria munus Sacerdotii obediend.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in occisione, vel mutilatione licita, & justa, respectivè ad Ministros Justitiæ, Judices, Advocatos, Accusatores, Testes, & ceteros concurrentes, & ad militantes in Bello justo; item in homicidio casuali, latissimè dixi loco præcit. de Justitiâ Diss. 10. art. 10. per plures §§. Require illic.

Irregularitas (Suppl. q. 66. art. 2.) ex defectu significationis, seu Sacramenti contrahitur ex Bigamia c. *Debitum* de Bigamia, & c. *Acutus* D. 26. cum enim matrimonium consummatum juxta Apost. Ephes. 5. significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, & Christus sibi conjunxerit Ecclesiam ab alio non assumptam, ista significatio est imperfecta, & deficiens in Matrimonio cum duabus, aut cum una corrupta, sive vidua, sive fornicaria.

Triplex est Bigamia inducens Irregularitatem, scilicet vera, & propriè dicta, interpretativa, & similitudinaria. Vera, & propriè dicta est, quando quis validè contraxit, & consummavit Matrimonium cum duabus. Addo, *Et consummavit*; quod debet semper intelligi in hac materia. Matrimonium enim sive viri, sive mulieris nunquam inducit Bigamiam, & Irregularitatem, nisi fuerit consummatum; quia non pertinet ad significandum illud matrimonium, quod est inter Christum, & Ecclesiam per carnis assumptionem.

Bigamia interpretativa est, quæ non fundatur in duplici Matrimonio consummato, sed in aliqua ejus imitatione. Est triplex. Prima, quando quis contrahit cum aliqua, quæ ab alio cognita fuit, sive licitè, sive illicitè, sive voluntariè, sive per vim, c. *Curandum*, c. *Præcipuus*, & c. *Lector*, D. 34. Dixi ab alio, quia, si ab ipso contrahente prius fuerit cognita, non inducit Irregularitatem, quia caro non est divisa. Secunda, quando quis cognoscit uxorem suam post adulterium ab ipsa commissum, c. *Si Laici uxor*, & c. *Si cuius ead.* D. 34. quia talis conjunctio desinit perfecte significare conjunctionem castam Christi cum Ecclesia. Idque verum est juxta communem Theologorum interpretationem, sive vir adulterium uxoris sciverit, sive non. Item, sive uxor volens, sive per vim cognita fuerit. Et colligitur ex c. cit. *Si cuius*. Tertia, quando intervenit duplex Matrimonium, sive simul, sive successive, unum validum, alterum invalidum, vel utrumque invalidum, sed utrumque consummatum. Item, si Clericus in sacris constitutus primas nuptias cum vidua inierit. Quidam hanc Irregularitatem colligunt ex Can. 16. & 18. Apostolorum, & ex Cap. *Nuptæ* de Bigamis; sed præterquam quod Canones Apostolici non sint tantæ auctoritatis, præsentem casum non exprimunt, & Cap. *Nuptæ* non loquitur generalitèr, sed tantum de Clerico in sacris constituto, qui contrahit secundas nuptias, vel primas cum vidua. Quapropter meliùs probatur hæc Irregularitas ex communi sensu Doctorum, & generali consuetudine Ecclesie; ut enim jam observavi cum aliis, possunt Censuræ, & Irregularitates, alias in Jure non expressæ, vim habere per generalem Ecclesie usum, communi Doctorum sensu introductum. Bigamia similitudinaria est, quando Clericus in sacris constitutus, aut Religiosus professus contrahit Matrimonium, etsi invalidum, & cum Virgine Cap. *Quotquot* 27. q. 1. c. 1. *Qui Clerici*, & *voventes*, & Cap. *Sanè* de Clericis conjugatis.

Nota, Baptizatum incurere Irregularitatem Bigamiæ ex matrimonio, antiè Baptizatum contractis Cap. *Si quis viduam* D. 24.

§. IV. Quis possit dispensare in Irregularitate?

Dico 1. Papa, & ipse solus potest jure ordinario dispensare in Irregularitate. Ratio est; quia omnes Irregularitates sunt Juris Ecclesiastici universalis. Papa autem, & ipse solus

potest dispensare in Jure universali Canonico, seu Ecclesiastico. Raro dispensat summus Pontifex in Irregularitatibus ex Bigamia propriè dicta, ex homicidio voluntario illicito, & publico, & ex defectu corporis, quando est magna deformitas. Ad Episcopum autem pertinet judicare, an magna, vel parva sit deformitas.

Dico 2. Episcopi ex concessione Trid. sess. 24. Cap. 6. de Ref. possunt dispensare in omni Irregularitate proveniente ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario. Occultum autem dicitur, quod non est notorium, etiam si a tribus, vel quatuor in occulto sciatur, & possit probari judicialitèr; item, quamvis sit de eo rumor sparsus. Quamdiu autem crimen sub foro contentioso versatur, etsi videatur probari non posse, non potest Episcopus dispensare in Irregularitate ex illo orta. Quod si accusatus, quamvis re ipsa reus, judicialitèr declaretur innocens, potest dispensari ab Episcopo; quia tunc delictum redit in eundem statum, in quo erat, antequam ad forum contentiosum deduceretur. Possunt etiam Episcopi dispensare cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex c. 1. de filiis presb. excepto Canonatu Cathedralis Ecclesie, qui requirit Ordinem sacrum, Trid. sess. 24. Cap. 12. Item possunt dispensare in Irregularitate ex Bigamia similitudinaria, si Clericus spontè respicitur, Cap. 1. *Qui Clerici*, & *voventes*. In aliis vero Irregularitatibus ex defectu nihil possunt.

Dico 3. Prælati Ordinum mendicantium, etiam Conventuales 1. possunt erga suos subditos, quod possunt Episcopi erga suos Diocesanos; hoc ipso enim quo Pontifices mendicantes exemerant a Jurisdictione Episcoporum, censetur illam eorum Prælati concessisse, cum id sit necessarium ad gubernationem tam spirituales, quam temporales Religiosorum. Et hanc jurisdictionem, quia non ex commissione temporali, sed virtute legis, seu consuetudinis eis competit, sed delegare. 2. Possunt dispensare cum suis subditis in omnibus aliis Irregularitatibus, exceptis tribus, scilicet, Bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione; quibus additur enormis defectus corporis, in quo non solet Pontifex dispensare. Ita Sixtus IV. Bulla *Dum attendit*. Item ex Bulla, quæ est mare magnum Prædicatorum, & aliis, de quibus vide Rodriguez Tom. 1. QQ. Reg. 24. art. 2. & seq. & *Lezma* Tom. 11. QQ. Reg. cap. 18. num. 40. & seq. Nota, quod Irregularitas non tollatur per absolutionem, sed per dispensationem in lege; & idèd requiritur legitima causa, ut dispensatio sit licita, imò & ut sit valida, si ab alio a Papa concedatur.

Petes, quid in dubio Irregularitatis contractæ? Respondi olim Diss. 10. de Justitiâ art. 10. §. 2. Pet. 2. de Irregularitate ex homicidio, quod ille, qui dubitat an homicidium perpetratum sit ab ipso constans, debeat se gerere, ut irregulare; secus, si dubitet, an homicidium sit reverè perpetratum; aut ejus dubium sit Juris. Verum, maturius consideratis variis textibus Juris, quos retuli, & fuscè expendi, atque ab alienis interpretationibus vindicavi Diss. 6. de Actibus hum. ubi de Probabilitate, art. 2. præsertim Probatione ultima, & in Sol. Obj. nunc mihi probabilis est, dubium positivè de quacunque Irregularitate, sive sit dubium facti cujusvis, sive juris, debere se gerere, ut Irregulare; quia secundum Jura in hujusmodi dubio debet sequi tutius. Require Probationes loco cit. Arbitror tamen, Episcopum posse in Irregularitate dubia dispensare saltem in locis remotioribus, ex tacito consensu Papæ, ut dixi de legibus Diss. 5. art. 3. §. 1. Esset enim onus importabile, si in omnibus hujusmodi dubiis recurreretur ad summ. Pontificem e Regionibus longinquis.

Dices 1. Non incurritur Irregularitas, nisi sit in Jure expressa; atqui, quando est dubium Juris, nequit dici Irregularitas expressa in Jure: ergo. R. D. Min. Non potest dici certò expressa in Jure, C. non potest dici sub dubio, N. In hoc autem dubio Jura volunt, tutius esse eligendum, ut probavius loco citato.

Dices 2. Dubius de casu reservato non debet se gerere, ut obnoxium reservationi, sed potest absolvi a quolibet Confessario: ergo similiter dubius de Irregularitate. R. N. Cons. Disparitas est, quod casus reservati pertineant ad forum conscientie, dubii frequentèr occurrant, sub sigillo teneri debeant, nec nisi urgente necessitate superioribus aperiri; ad quos etiam sæpè non patet facilis accessus, ut eis exponatur dubium, & eorum mens exquiratur. Undè continua foret in Confessariis & Penitentibus conscientie anxietas, & onus importabile, si casus dubii essent reservati. Quibus de causis jure præsumitur, Ecclesiam non intendere casus dubios reservare. Hæc autem rationes non militant pro Irregularitatibus, quippe quæ spectant forum externum, rariores sunt, nec res ita secretæ. Adde, quod Jura volunt dubium de Irregularitate se gerere, ut Irregularem, nihil tale autem reperitur in Jure de reservatione casus dubii. Alias Objectiones vide loco cit. de Probabilitate.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE INDULGENTIIS.

Div. Thom. Suppl. QQ. 25. 26. & 27.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Indulgentia?

Dico 1. Indulgentia generatim sumpta est remissio proprii juris in gratiam alterius. Ex usu autem Ecclesie & Theologorum Indulgentia definitur: *Remissio pœnæ temporalis debite peccato actuali, remissio quoad culpam & pœnam æternam facta extra Sacramentum ab eo, qui jurisdictionem spirituales habet dispensandi thesaurum Ecclesie.* Explicatur.

Dicitur *Remissio pœnæ temporalis*; quia, remissis culpa & pœna æterna per Sacramentum Penitentiae, seu perfectam contritionem, sæpè remanet pœna temporalis in hac, vel altera vita luenda, ut ex professo probavius contra Hæreticos Diss. de Penitentia art. 1. Et hujus pœnæ remissio dicitur Indulgentia. Dicitur *Peccato actuali remissio debita*; quia omnis pœna peccato Originali debita per Baptismum remittitur.

Dicitur *Facta extra Sacramentum*; ut distinguatur a remissione sacramentali, quæ est magis liberalis, cum pro satisfactione levi culpa & pœna æterna remittitur. Indulgentia verò est quædam solutio debiti ex bonis communibus Ecclesie; non secus, ac si pro debitor mille florenorum Prætor solveret partem summam ex ærario publico.

Dicitur *Facta ex thesauro Ecclesie.* Est autem iste thesaurus valor satisfactorius bonorum operum Christi & Sanctorum, qui non fuit eis necessarius pro expiatione propriorum peccatorum, permanens in acceptatione Dei ad utilitatem Corporis Ecclesie, cujus Christus est caput, Sancti & omnes fideles membra; & qui proinde applicari potest ejusdem corporis membris, quæ indigent. Dixi *Valor satisfactorius*; duplex enim est valor in bono opere; unus meritorius ratione gratiæ & charitatis, a qua procedit, & respicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut illius, cui meretur. Alter satisfactorius ratione difficultatis, laboris, & penalitatis in opere, & respicit jus alienum reparandum, adeoque directè bonum læsi, non satisfaciens, nisi indirectè, quatenus eum liberat a debito. Thesaurus itaque Ecclesie, de quo loquimur, constat ex operibus bonis, qua satisfactoria, Christi & Sanctorum, qui juxta modum, quem Deus servat in pœnis, is non indiguerunt ad proprium peccatorum satisfactionem. Quantum enim ad valorem meritorum, Sancti præmium adæquatum, imò superabundans, receperunt in beatitudine. Hunc thesaurum extare in Ecclesia, mox specialitèr probavi.

Dico 2. (Suppl. q. 25. art. 1.) Indulgentiæ valent non solum in foro Ecclesie, sed etiam in foro Dei; id est, liberant hominem non solum a pœnis ab Ecclesia, sive per Sacerdotem, sive per Canones, injunctis, sed etiam a pœnis Deo debitibus & in Purgatorio luendis.

Prob. 1. (Ib.) Quia Christus Matth. 16. promisit Petro, quod id, quod solveret in terra, esset solutum in caelis. Undè Apostolus dicit, quod condonavit incestuosus Corinthio in persona & vice Christi 2. (Ib.) Quia, si Indulgentiæ liberarent tantum a pœnis ab Ecclesia injunctis, & non a pœnis coram Deo & in altera vita luendis, plus nocerent, quam prodescent, & Ecclesia fideles deciperet in re gravi momenti; eximendo enim a pœnis levioribus hujus vite eos remitteret ad pœnas longè acerbiores Purgatorii, quarum relaxationem obtinissent per pœnas hujus vite; sicque verum esset illud Lutheri, Indulgentias esse fidelium fraudes. Undè Sixtus IV. Constit. *Licet ea*, proscripsit hanc Petri Oxomensis propositionem: *Remanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest.* Et Leo X. hanc alteram in Bulla contra articulos Lutheri: *Indulgentiæ hæc, qui veracitèr eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debite apud divinam justitiam.*

Dico 3. Indulgentia dividitur 1. in totalem, seu plenariam, quæ sufficit tollendæ toti pœnæ restanti post culpam demissam; & partialem, quæ sufficit tollendæ parti pœnæ tantum. Plenaria non subdividitur. Indulgentia enim Jubilæi non differt a plenaria ratione remissionis pœnæ, sed tantum ratione quorundam privilegiorum annexorum, ut dispensationis in quibusdam votis, absolutionis a reservatis, &c. Ne refert, Bonifacium VIII. in Extravag. *Antiquorum* concessisse Indulgentiam, plenam, ple-

nariam, & plenissimam; ita enim dicit ad majorem explicationem Indulgentiæ plenariæ tantum, & ut tolleret quorundam scrupulos; quia plenum admittit latitudinem, & quæ ad plenitudinem accedunt, subinde dicuntur plena. Voluit ergo tantum significare, se concedere Indulgentiam, quantum se extendit potestas clavium; & ita declaravit, præsentè Glossatore, qui id testatur.

Partialis autem Indulgentia est multiplex. Quædam conceditur pro mediocritate, vel tertia, vel quarta parte peccatorum, id est, pœnarum peccatis debituram. Alia est unius, vel plurium quadragenarum, unius vel plurimum annorum, unius, vel plurium quadragenarum. Quod ut intelligas, observandum est, quod secundum antiquos Canones, quos recensimus Diss. 9. de Penitentia art. 6. gravioribus peccatis certæ pœnæ imponerentur, aliquando unius vel plurium dierum, aut annorum, 7. 10. 20. aliquando tota vita; item unius, vel plurium quadragenarum: erat autem quadragena jejuniis per 40. dies; & quando erat in pane & aqua dicebatur *Carena*, a carendo aliis cibis præter panem & aquam.

Quando ergo conceditur Indulgentia unius, vel plurium quadragenarum, unius, vel plurium dierum, aut annorum, non est sensus, quod relaxetur tantum obligatio ad illas pœnas antiquorum Canonum, quasi valerent Indulgentia coram Ecclesia tantum, & non coram Deo, ut patet ex Conclus. præced. Neque sensus est, quod tot relaxentur anni de Purgatorio, quot remittantur anni penitentiarum antiquorum Canonum, quasi Indulgentia v. gr. 7. annorum liberet a 7. annis Purgatorii, acerbitas enim pœnæ unius diei in Purgatorio potest æquivalere, imò superare pœnas plurium dierum in hac vita, & incertum est quanto tempore, qui lucratur Indulgentias, deberet pati in Purgatorio; sed sensus est, quod remittatur tanta pœna peccatis debita coram Deo, & in Purgatorio luenda, quanta remitteretur per penitentiam unius, vel plurium dierum, vel annorum, vel quadragenarum, secundum antiquos Canones imponi solitam, aut quæ secundum prudens Confessarii judicium esset pro peccatis commissis imponenda. Quanta autem remitteretur, solus Deus novit. Hinc habes, illos hallucinari, qui parvi faciunt Indulgentias partiales, nec nisi plenarias volunt.

Si dicas, quandoquæ fuisse concessas Indulgentias mille, imò decem millium annorum, quales nunquam imposuit fuerunt per Canones. R. Plures & graves Auctores hujusmodi Indulgentias rejecere ut fictas a Quæstoribus, & nunquam ab Ecclesia probatas. Cæterum sic posset explicari. Suppono, pro uno peccato mortali, puta blasphemiam, impositam fuisse penitentiam decem annorum, si quis multiplicet istud peccatum, puta milles blasphemem, obnoxius erit penitentia decem millium annorum.

2. Indulgentia dividitur in perpetuam, & generalem. Perpetua est, quæ conceditur sine determinatione temporis. Temporalis, quæ habet præfixum tempus, puta 3. 7. annorum, quo elapso cessat. 3. Indulgentia dividitur in personalem, & realem, & localem. Personalis est, quæ conceditur personis lucranda, vel in articulo mortis, vel quoties tale quid fecerint. Realis est, quæ conceditur alicui rei, v. gr. Rosario, Numismati, vel Imagini, lucranda ab eo, qui rem illam gestat. Localis est, quæ conceditur alicui loco, puta Ecclesie, Altari, &c. lucranda ab eis, qui illum devotè visitaverint.

Petes 1. Utrum in Indulgentia locali plures in die visitans Ecclesiam, seu locum, cui annexa est Indulgentia, toties illam lucraretur? R. (Ibid. art. 4. ad 2.) quod, si Indulgentia sit concessa sine determinatione temporis hunc locum visitantibus, v. gr. si dicatur simpliciter: qui devotè visitaverit hanc Ecclesiam, talem Indulgentiam lucrabitur; toties illam lucratur, quoties in die illam visitat; quia non est ratio restringendi ad unam vicem. Si verò Indulgentia concessa sit cum determinatione temporis, v. gr. si dicatur: qui devotè visitaverit hanc Ecclesiam tali die, tali festo, tali tempore, puta Paschali, infra talem Octavam, intelligitur tantum semel in isto die, vel tempore determinato: quia Prælatum videret determinasse tempus, ut quisque, cum sibi opportunitas fuerit, Indulgentiam semel lucraretur; & ita apprehendit sensus communis fidelium, qui est optimus hujusmodi concessionum Interpres. Neque obstat, beneficium Principis, quod nulli fert præjudicium, esse laicè interpretandum. Id namque verum est duxerunt, quando

non

non receditur a voluntate Principis. Presumitur autem tum ex determinatione temporis, tum ex communi sensu fidelium, voluntatem concedentis talem Indulgentiam esse, ut semel tantum in die obtineatur.

Petes 2. An, quando in concessione Indulgentie partialis exprimitur de poenitentia injunctis, valeat tantum ad relaxationem poenitentiae injunctae a Confessario, seu poenae illi correspondentis? R. probabilis, & communis negative: quia ista particula de Poenitentia injunctis non debet censi restrictiva, sed potius ampliativa, quasi diceretur, etiam de injunctis. Quod probatur. 1. Quia juxta Regulam Juris; ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur; in eodem scilicet genere: sic, si qui concedatur facultas absolvendi a reservatis, intelligitur a non reservatis; atqui majus est remittere poenas a Confessario injunctas, quam injungendas, cum injunctae non solum fore divino, sed etiam humano sint debite: ergo. 2. Dum Pontifex concedit Indulgentiam plurium dierum, vel annorum, nescit, an tanta poenitentia sit a Confessario injuncta, imo potius scit, tantam non esse injunctam, cum juxta hodiernam Ecclesiae praxim tanta non injungatur: ergo non intelligit tantum de poenitentia a Confessario injuncta, sed de ea, quae possit injungi, vel per Canones est statuta, quae vero sensu potest dici injuncta, quia per Canonem est praefixa. 3. Quia alioquin Indulgentiae forent hodie exiguae utilitatis; cum, ut dictum est, exiguae soleant tunc injungi poenitentiae.

Petes 3. An poenitens, qui vacat Indulgentiae lucranda, possit omittere poenitentiam a Confessario injunctam? R. (Ibid. art. 1. ad 4.) non esse consultum. 1. Quia non est certus se lucraturum, aut lucratum fuisse saltem integrè Indulgentiam. 2. Quia poenitentiae, quae injunguntur a Confessariis, ut plurimum non sunt in solam vindictam praeteriti, sed etiam in cautelam futuri, sub qua ratione non tolluntur ad indulgentias. 3. Quia forte est plurimum debitor, quam credit. Possunt tamen injungi a Confessariis leviores poenitentiae sub spe Indulgentiae lucranda.

ARTICULUS II.

Utrum sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias?

DUO hic investiganda sunt. Primum, an sit in Ecclesia thesaurus aliquis satisfactionum Christi, & SS. qui applicari possit illis, quibus post culpam restat poena temporalis luenda in hac, vel altera vita. Secundum, an sit in Ecclesia potestas hunc thesaurum applicandi, & sic absolvendi homines a reata poena temporalis. Revocandum est, quod in art. praeced. dicebatur, meritum, & satisfactionem, quamvis in eodem opere reperiri possint, inter se tamen distingui. Meritum, quo quis redditur praemio dignus, non potest alteri applicari; sic ex operibus meritorius unus civis alter non efficitur dignus Magistratu: sed satisfactio unius potest alteri applicari, sic unus civis potest ex propria poena alterius debitum solvere.

Dico 1. (Ibid. art. 1. o.) Est in Ecclesia thesaurus satisfactionum Christi, & SS. Prob. 1. Passio, & labores Christi non erant illi necessarij ad satisfaciendum pro peccatis, quibus carerebatur, & propter unionem ad Verbum erat infiniti valoris, ut probavimus in Tract. de Incarnatione. Hi autem dati sunt Ecclesiae, ubique enim in Scripturis Christus dicitur nobis dari, & pro nobis passus. B. Virgo caruit omni peccato actuali: ideoque satisfactione non indigebat, passa est tamen gravissimos cruciatus in passione Filii. Joannes Baptista sanctificatus in utero matris, vitam duxit, quam martyrio coronavit. Apostoli, Martyres, Confessores, Anachoretæ, & Virgines plus egerunt, & passi sunt, quam exigebant eorum peccata, secundum modum, quem Deus servat in poenis exigendis. Haec autem omnia manent in acceptatione, & memoria Dei, qui nullius boni operis obliviscitur, ad communem Ecclesiae utilitatem secundum virtutem saltem voluntatem eorum, qui ista egerunt. Et quamvis, ut habent rationem meriti, fuerint abundanter remunerata per beatitudinem; ut tamen habent rationem satisfactionis, multa eis supererant, quae neque eorum voluntate, neque ex certa aliqua lege aliquibus certis personis sunt applicata, proindeque manent in communibus bonis Ecclesiae; sicut bona civium, sine ulla certa haereditate, aut legatarum decedentium, pertinent ad ipsam Respublicam; non est enim minor communicatio honorum inter fideles, quam inter Cives Respublicae. Adde, Sanctos semper intendere in suis operibus communem Ecclesiae utilitatem.

Haec ergo (Ibid. v. lere alii, si eis applicentur, evincit ipsa ratio communis Sanctorum, & unitatis Corporis mystici, cujus omnes fideles sunt membra; membra enim corporis non sibi tantum, sed etiam aliis membris, & toti corpori servant. Insuper posse unum pro altero satisfacere probavimus Diss. 9. de Poenitentia art. 5. Hinc Clemens VI. Constit. Unigenitus de Poenit. & Remiss. ait. In ara Crucis innocens immolatus non

guttam sanguinis modicum, quae tamen propter unionem ad Verbum pro Redemptione totius generis humani sufficisset, sed copiose velut quoddam profluviolum noscitur effudisse. Quantum ergo exinde, ut nec superflua, namque, aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivisset. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum celi clavigerum, ejusque Successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum Beate Dei Genitricis, omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare nascuntur. De cujus consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod, quando plures eo ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Dico 2. Est in Ecclesia potestas Indulgentias dispensandi ex thesauro Ecclesiae. Prob. 1. ex his Christi verbis Matth. 16. Quaecumque solveris super terram, erit solutum & in caelis. Haec promissio est generalis, nec restringitur ad peccata, ut illa Joana. 20. Quorum remisistis peccata, &c. sed extenditur ad omnia vincula, quae possunt homines impedire a consecutione salutis, ideoque non solum ad absolutionem a peccatis, sed etiam ad absolutionem a Censuris, ad dispensationem in votis, & ad relaxationem poenarum temporalium, &c. Quod autem ibi promittitur Petro, confertur Joana. 21. Pasce oves meas. Petrus itaque, constitutus supremus Pastor, Rector, & Index Ecclesiae, potest vice Christi absolvere homines a peccatis applicando illis merita Christi per Sacramenta, & a poenis peccatorum extra Sacramenta applicando poenitentiae satisfactiones Christi & SS. Ideo autem absolutio a peccatis non fit extra Sacramenta, quia peccatum mortale non remittitur nisi per infusionem gratiae, gratia vero non datur ministerio hominum nisi per Sacramenta; sed absolutio a poenis temporalibus non fit per infusionem gratiae, sed eam supponit.

Prob. 2. Ex perpetuo usu Ecclesiae ab inenarrabilis Paulus 2. Cor. 2. incensuro Corinthio poenitentem remisit in persona Christi, id est, auctoritate a Christo sibi tradita, partem poenitentiam, quae debebat persolvere. Deinde post Apostolorum tempora nus erat in Ecclesia, ut ad praesens Martyrum, qui desinebantur in carceribus, vel alias, quando Episcopi id expedire iudicabant, pars poenitentiae lapsis remitteretur, ut constat ex Tertul. l. ad Martyres post initium & l. de pudicitia c. 22. ex Cypriano l. 3. Ep. 15. ex Concilio Niceno c. 11. aliis 12. ex Concilio Ancyrano c. 5. & Laodiceo c. 2. S. Greg. circa annum 600. Indulgentias in diebus stationum concessit, ut testatur Guillelmus Alisiodorensis l. 4. Summae Theologiae Tract. 6. c. 9. & S. Th. in 4. d. 20. q. 1. art. 13. q. 2. Leo III. circa ann. 800. Sergius eodem saeculo, & alii deinde Pontifices Indulgentias aperte concesserunt, ut pluribus testimoniis probat Bellarm. l. 1. de Indulgentiis c. 3. A pluribus referendis supersedeo; quia non negant Haeretici, Indulgentias sequentibus saeculis fuisse in usu.

Insuper hi, & sequentes Pontifices, Clemens VI. cap. Unigenitus, Sixtus IV. cap. Quemadmodum, Bonifacius VIII. cap. Antiquorum, loquuntur de Indulgentiis, ut de re antiqua, cujus ignoratur initium: Antiquorum habet fidei relatio, inquit Bonifacius VIII. quod ac cedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de urbe concessa sunt magne remissiones & Indulgentiae peccatorum. Haereticis autem contra Indulgentias initium designatur; constat enim, non solum apud Catholicos, sed etiam Haereticos, Waldenses fuisse primos, qui doctrinam Indulgentiarum impugnaverunt. Porro hoc est Dogmatum Catholicorum proprium, ut eorum origo non invenitur, nisi ad ipsum Evangelium, aut Apostolos ascendendo; haereticorum autem potest semper designari initium & Auctor.

Nec refert, in primitiva Ecclesia non ita frequentem fuisse usum Indulgentiarum. Sic exigebat ratio temporum. Ferrebant enim charitate primi Christiani, & per rigorem discipline atque poenitentiae labores erant tamquam Athletæ exercitandi ad Martyrium. Nec etiam refert, modum concedendi Indulgentias fuisse tunc diversum. Ita namque diversitas erat tantum accidentalit: semper enim concessae sunt Indulgentiae in relaxationem poenae temporalis ex thesauro Ecclesiae, confiato ex Christi & SS. satisfactionibus, in quo sita est substantia Indulgentiae.

Prob. 3. ratione. In omni Republica bene ordinata pertinet ad supremum Principem & Magistratum dispensare bona communia, & ea applicare civibus, qui indigent, prout exigit utilitas Respublicae. Id naturali lumine patet; atqui Ecclesia est Respublica bene ordinata a Christo instituta, ut Ecclesia est Principes est summus Pontifex, deinde Episcopi, est in Ecclesia aeternum publicum, seu thesaurum ex satisfactionibus Christi & SS. superabundantibus, plures fideles Deo grati & amici poenarum temporalium debito gravati indigent. Quid obstat ergo, quominus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopi in suis Dio-

Diocesisibus has poenas remittant ex illo thesauro. Totam hanc doctrinam asserit & prudenter exponit Concilium Trident. Decreto de Indulgentiis in fine sess. 25. de Ref. his verbis: Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus usa fuerit, Sacrosancta Synodus, Indulgentiarum usum Christiano Populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse, docet & praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse, negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina evanescat. Abusus vero, qui in his irreperunt, quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Haereticis blasphematur, emendatas & correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, praevis quatuor omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano Populo abusus causa fluxit omnino abolendos esse, &c.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt 1. Haeretici, dimissa culpa, nullam remanere poenam luendam in hoc, vel in altero saeculo: ergo R. N. Ant. Quod abundanter impugnavimus Dissert. 3. de Poenitentia art. 1. Vide Obj. 2. Unum non posse pro altero satisfacere. R. N. iterum Ant. Quod etiam ex professio impugnavimus Dissert. 9. de Poenitentia art. 5. Vide.

Obj. 3. Christum pro omnibus peccatis semel satisfacisse. R. Equidem Christum satisfacisse pro omnibus peccatis, sed ejus satisfactionem nemini prodesse, nisi applicetur, aliis omnes homines de facto salvarentur; inter autem modos eam applicandi unus est per Indulgentias.

Obj. 4. Merita Christi fuerunt sufficienter remunerata tam per visionem beatificam, qua donatus est, quam per exaltationem nominis; Deus enim donavit illi nomen, quod est super omne nomen, Philipp. 2. Similiter merita SS. fuerunt supra condignum remunerata per beatitudinem: ergo ex utraque parte nihil restat, quod reponatur in thesauro Ecclesiae, & aliis applicetur. R. ad 1. Dato, valorem meritorum operum Christi adaequatum fuisse remuneratum, valor satisfactorius nihil illi profuit, cum non habere peccatum, ideoque fuit superabundans reponendus in thesauro Ecclesiae. Insuper N. Ant. Visio enim beatifica non est fuit data intuitu meritorum, sed ab instanti Incarnationis vi unionis hypostaticae: Exaltatio autem nominis, cum sit finita, non adaequat meritum ejus infinitum. Ad 2. pariter R. Opera SS. quatenus meritoria, fuisse superabundanter remunerata: at quatenus satisfactoria in pluribus superabundant; ideoque, quod est superabundans fuit in thesauro Ecclesiae, suo tempore alii applicandum.

Inst. 1. contra 1. solutionem. Satisfactio Christi, quamvis infiniti valoris, fuit exhausta in expiatione peccati mortalis: ergo nihil superest reponendum in thesauro Ecclesiae. Prob. Ant. Peccatum mortale est infinitum in ratione offensae & injuriae; atqui expiatio & reparatio injuriae infinitae requirit & exhaustur satisfactionem infinitam: ergo R. N. Ant. ad Prob. D. Min. Reparatio offensae infinite exhaustur satisfactionem infinitam ejusdem ordinis, Transsest; satisfactionem infinitam altioris ordinis, qualis est satisfactio Christi, quae est ordinis hypostaticae & reductive divini, N. Alioquin probaret argumentum, unicuique solum peccatum mortale passione Christi deleri potuisse. Vide Dissert. 19. de Incarnat. art. 6. ubi probavimus, satisfactionem Christi fuisse ab intrinseco non solum condignam, sed superabundantem.

Inst. 2. contra 2. solutionem. Opus unius etiam satisfactorium alteri non prodest, nisi operans intendat illi applicare & prodesse; atqui Sancti in suis bonis operibus non habuerunt intentionem illa reponendi in thesauro Ecclesiae, ut aliis applicarentur: ergo R. D. Min. Non habuerunt intentionem explicatam, Transsest; implicatam, seu interpretativam, N. Omnia enim, quae faciunt Sancti, quae non sibi reservant, vel alteri non applicant, aut applicata forte non prosunt, faciunt in communem utilitatem Ecclesiae. Unde dicebat Apost. 2. Tim. 2. Omnia sustineo propter Electos. Et Coloss. 1. Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.

Inst. 3. Haec satisfactiones, si quae sint superabundantes, applicentur aliis vi Communionis Sanctorum. Unde dicebat David Ps. 118. Particeps ego sum omnium inimentium te: ergo frustra applicentur per Indulgentias. R. N. Ant. Vi enim Communionis Sanctorum fideles participant bonis aliorum operibus, quoad portionem generalem tantum; non vero quoad portionem specialem, quam operans sibi reservat, ut alteri applicet. Certum est enim, quod oratio, aut quodvis aliud bonum opus specialiter, & magis prosit ad satisfactionem ipsi

operanti, si sibi reservat, vel alteri, cui specialiter applicat, quam aliis fidelibus. Et haec est portio specialis, quando est superabundans operanti, aut nulli alteri applicat, vel prodest, quae reponitur in thesauro Ecclesiae & applicatur per Indulgentias.

Obj. 5. Satisfactiones Christi sunt infiniti valoris; atqui infinito nihil addi potest: ergo frustra junguntur satisfactiones SS. R. D. M. Infinito nihil potest addi in eo genere, in quo est infinitum, C. in altero genere, N. Et enim, quod est infinitum intensive, potest fieri additio secundum extensionem, & sic est in presenti casu. Satisfactio Christi est infinita intensive, per additionem satisfactionum SS. augetur extensive, quatenus est major numerus satisfactionum.

Inst. Salmem satisfactiones Christi sunt plusquam sufficientes redimendis omnium peccatorum poenis: ad quid ergo adduntur satisfactiones Sanctorum? R. Addi satisfactiones SS. non equidem quod sint necessariae, sed 1. Quia inde magis elucescit efficacia meritorum Christi, quae non solum possunt per se expiare peccata, sed etiam aliis vim expiandi conferunt. 2. Ut unde magis honorentur Sancti, & satisfactiones eorum superabundantes non maneant otiosae. 3. Quia, licet satisfactiones Christi sint infinitae, applicantur tamen finito modo, & ad determinatum effectum, qui potest auferri. Sicut ergo saepe obtemus aliquid per merita & preces SS. quod sine illis non obtemeremus; ita non est incredibile, Deum ob satisfactiones SS. largiorem effectum Indulgentiis concedere, quam alias concederet; neque hoc est illo modo injuriosum Christo, aut ejus meritis derogat; quia satisfactiones Sanctorum non habent valorem nisi ex meritis Christi, sicut non derogat ejus omnipotentiae, quod producat eum causis secundis certos effectus, quos sine illis posset producere; quia causa secunda non agit, nisi virtute a causa prima participata.

Inferes: ergo Sancti possunt etiam dici redemptores nostri. R. N. Illationem 1. Quia is est proprie redemptor noster, qui nos a peccato, & a poena aeterna liberat. 2. Quia solius Christi satisfactiones per se valent ad satisfaciendum pro nobis, satisfactiones autem SS. hanc vim emendicant ex ipsis Christi meritis, ut jam dixi.

Urgebis. Vix explicari potest, quomodo satisfactiones Christi & SS. concurrant in Indulgentiis, an simul partialiter, an seorsim. R. id quidem esse incertum, sed nihil officit. Certum namque est, esse in Ecclesia thesaurum ex Christi & SS. satisfactionibus. Certum est, satisfactiones Christi esse infinitas, applicari tamen finito modo. Certum est item, satisfactiones SS. vim habere ab ejus meritis, ideoque posse absque illius injuria aliquid addere in Indulgentiis.

ergo nihil in illis superabundat. Prob. Ant. tenerentur faceret dicit Apostolus: Cum feceritis omnia, quae praecipita sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus. Item Matth. 25. prudentes Virgines noluerunt alii communicare de oleo, quia totum sibi necessarium reputabant: ergo R. 1. Dato Ant. N. Consequ. quia etiam adimpleto praecipito est meritoria & satisfactoria, & fieri potest, quod, qui legem adimplet, hac satisfactione non eget, ideoque possit aliis applicari. Unde non dixit Christus, eos esse servos inutilis, sed quod deberent se dicere, & reputare servos inutilis, & hoc ad exercitium humilitatis. R. 2. N. Ant. Non enim dixit Christus simpliciter: Cum feceritis omnia, sed cum feceritis omnia, quae praecipita sunt vobis; poterant ergo ex operibus supererogationis non esse inutilis. Ad parabolam de Virginitibus, sermo est de oleo gratiae & charitatis, quam nemo potest aliis communicare, quia est donum solius Dei. Aliam item explicationem hujus Parabolae dedimus Dissert. 9. cit. de Poenitent.

Obj. 7. Non est data potestas Ecclesiae in destructionem, sed in aedificationem; atqui Indulgentiae sunt in destructionem, quia tollunt opera satisfactoria, quae sunt in remedium peccati: ergo R. Min. ad Prob. (Ibid. art. 4. ad 4.) Dicendum est, quod majus remedium probetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum: & quia ex assuetudine, quem accipiens Indulgentias concipit ad causam, pro qua Indulgentia datur, ad gratiam disponitur, ideo etiam per Indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, & ita non est in destructionem Indulgentias dare, nisi inordinatè dentur. Tamen consulendum est eis, qui Indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae injunctis abstant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes; & praecipue quia quandoque sunt plurimum debitores, quam credant.

Obj. 8. Inferior non potest absolvere ab eo, ad quod superior obligavit; atqui Deus absolvendo a culpa obligat ad poenam temporalem: ergo R. eum, (Ibid. ad 1.) qui indulgentiam suscipit, non absolvi simpliciter a debito poenae, quasi nihil solvat; sed sic absolvitur, ut etiam ei deatur, unde solvat.

Insuper faciens Indulgentias non absolvit nisi auctoritate Dei.

ARTICULUS III.

Quibus competat potestas conferendi Indulgentias?

Dico. (Ibid. q. 26. art. 3. o.) Potestas conferendi Indulgentias primario competit Summ. Pontifici, & per ipsum in Episcopos derivatur. Prob. (Ibid.) Potestas dispensandi bona publica primario pertinet ad supremum Principem Reipublice; ad inferiores autem Principes, seu Magistratus pertinet secundum quod ab ipso potestatem accipiunt; atqui solus Summ. Pontifex est supremus Princeps in Ecclesia, sicut Rex in regno: ergo. Confirm. Papa potest auferre, minuire, augere hanc potestatem in Episcopis, ut mox dicam: ergo. Sed juvat audire Doctorem nostrum cit. in margine. Papa, inquit, habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in Regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi Judices singulis Civitatis prepositi: propter quod eos solos in suis litteris Papa fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere, proit vult, causa tamen existente legitima; sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papae, & ideo possunt facere secundum quod eis taxatum, & non amplius.

Quapropter Concilium Lateran. sub Innoc. III. refertur cap. Cum ex eo de Penit. & remis. concedit Episcopis potestatem conferendi suis Diocesis Indulgentiam unius anni in consecratione Ecclesie, in eius autem Anniversario, & aliis temporibus 40. dierum tantum. Item Honorius III. cap. Nostra eodem titulo, idem concedit Archiepiscopis per suam Provinciam, & Bonifacius VIII. cap. Indulgentie eodem titulo in 6. Idque si ve dentur Indulgentie ab uno, sive a pluribus, qui consecrationi adunt; declaratque Bonifacius, quod, si predictum modum excesserint, Indulgentie vires non obtinent; quod videtur intelligendum quantum ad excessum tantum, quia juxta regulam Juris 37. in 6. Utile per inutile non vitiatur.

Ex quo habes, Episcopos habere potestatem conferendi Indulgentias Jure Ecclesiastico tantum. Licet enim Christus ipse institueret munus Episcopale, non tamen per se ipsum confert singulis Episcopis jurisdictionem, sed mediante Summ. Pontifice. Quia tamen eorum status & officium Episcopale exigit, ut hujusmodi potestas ipsis a Papa communicetur, non sunt in hoc simpliciter delegati, sed ordinarii, quia vi status & officii habent hanc potestatem a Papa: & hoc sensu dicuntur ab aliquibus habere illam Jure divino, scilicet mediate. Id autem dici non potest de Abbatis, (Ibid. art. 1. o.) Parochis, & Praelatis Religionum; quia, cum non habeant tantum, sicut qui pœnitentiam faciunt, non sunt simpliciter Praelati Ecclesie, sed secundum quid tantum & improprie: & ideo non exigit eorum status, seu officium, ut communicetur illis potestas dispensandi Indulgentias. Unde Innocentius III. cap. Accedentibus de excess. Praelat. id expressè prohibetur de Abbatis.

Dices. Abbates & alii Religionum Praelati solent aliis bona spiritualia suae communitatis communicare: id etiam faciunt privati, amicis sua bona opera communicando: ergo. R. (Ibid.) has communicationes non esse Indulgentias. 1. Quia non sunt ex thesauro indeficienti Ecclesie. 2. Quia non solvunt a debito faciendi satisfactionem injunctam ab Ecclesia, seu Confessario. 3. Quia per eas non applicantur satisfactiones praeferitè aliis superabundantes, in thesauro Ecclesie repositae, sed opera tantum futura. 4. Quia Indulgentie conceduntur vivis per modum jurisdictionis & absolutionis: Praelatis autem Religionum non competit hæc potestas in extraneo, quibus communicant bona communitatis suae opera.

Potes 1. Utrum ad concessionem Indulgentie requiratur potestas Ordinis? R. negativè (Ibid. art. 2. o. & suppl. q. 45. art. 2. ad 1. r.); sed sufficit potestas Jurisdictionis; quia concessio Indulgentiarum non est quid sacramentale. Unde Episcopus confirmatus, & nondum consecratus, potest jure ordinario conferre Indulgentias, & eodem jure committere facultatem conferendi simplicibus Clericis. Quod a fortiori potest Summus Pontifex, qui etiam posset ex absoluta potestate hanc facultatem delegare non clerico, sed non decreto.

Potes 2. Utrum Indulgentia sit mera solutio pretii pro peccata restante, an etiam absolutio, seu remissio judicialis & auctoritativa? R. Indulgentiam vivis concessam esse & absolutionem & solutionem Utrumque docet Auctor. Primum hic q. 26. art. 4. o. Ubi dicit, quod Facere Indulgentiam pertinet ad Jurisdictionem, & q. 27. art. 1. ad 2. quod per Indulgentiam quis Absolvitur a peccata injuncta, vel debita pro peccato in foro penitentiali. Secundum docet q. 25. art. 1. ad 3. dicens. Faciens Indulgentias solvit penam de bonis communibus Ecclesie. Utrumque autem docet ibid. ad 2. dicens. Iste, qui Indulgentias sus-

cipit, non absolvit simpliciter loquendo a debito peccato, id est, non sic absolvit, quin solvatur aliquid pro debito. Ratio 1. partis est. 1. Quia indulgere non est simpliciter solvere, sed etiam remittere & relaxare. 2. Indulgentia non conceditur vivis nisi subjectis, ut declarat Alexander III. c. Quod autem de peccatis & remis. ergo requiritur jurisdictionis. Ad quid autem jurisdictionis nisi ad absolvendum? Ratio 2. partis est; quia Praelati Ecclesie non sunt quasi Domini absoluti, qui pro libito condonant peccata, sed sunt quasi Judices, qui absolvunt quidem ex potestate sibi commissa, sic tamen ut satisfat justitiae divinae per solutionem pretii ex thesauro satisfactionum Christi & SS. pro debito peccati. Dixi: Indulgentiam vivis concessam; quia quae conceditur pro mortuis, non est absolutio defectu Jurisdictionis in illos, sed solutio tantum & suffragium, qui est finis Indulgentiae, quae in hac occasione conceditur, censetur sufficiens. Dixi, causam justam Indulgentiae plerumque completi opus injunctum; quia aliquando conceditur Indulgentia absque injunctioe operis, quando nempe assecutio finis Indulgentiae non pendet ab opere. Sic olim absque injunctioe operis concedebatur Indulgentia ad preces Martyrum, qui detinebantur in carceribus, & consumptionem Martyrii expectabant, ut fideles accenderentur ad martyrium, cum viderent tantum fieri preces Martyrum. Sic quondam abique injunctioe operis conceditur Indulgentia in articulo mortis hominibus de Ecclesia bene meritis; quia extrema necessitas juncta meritis praecedentibus absque novo opere videtur causa sufficiens, maxime cum inde excitentur fideles, ut bene mereantur de Ecclesia.

Potes 3. Quomodo ergo Papa, seu Episcopus faciens Indulgentias potest illarum particeps fieri, si quidem non possit in se ipsum exercere Jurisdictionem, ideoque nec se absolvere? R. (Ibid. q. 27. art. 4. o. & ad 1. r.) particeps fieri Indulgentiae, quam facit, non per modum absoluti, sed solutionis, quatenus sibi applicat satisfactionem, quam aliis concedit, sicut qui dispensat bona communia, potest ex illis suam portionem accipere. Alii dicunt, quod possit concedere suo Confessario facultatem ipsum absolvendi non solum a culpa per Sacramentum, sed etiam a peccata temporali per Indulgentiam; quod etiam verum est.

ARTICULUS IV.

An & quae causa requiratur, ut Indulgentia sit rata?

UT Indulgentia (Ibid. q. 25. art. 1. 2. o.) sit valida & rata quatuor requiruntur: auctoritas in concedente, charitas in suscipiente, causa legitima, quae sit scilicet ad honorem Dei & Ecclesie utilitatem, adimpletio operis injuncti. Hoc quartum non assignavit Auctor; quia non semper injungitur opus faciendum, ut cum Indulgentia conceditur morientibus. De 1. diximus art. praeced. de 2. & 4. dicens art. seq. de 3. hic est Quaestio.

Suppono 1. Indulgentiam sine causa pia & rationabili concessam esse illicitam; quia concedens est in hoc infidelis dispensator. Suppono 2. Indulgentiam sine causa sufficienti concessam esse saltem validam quantum ad privilegia ei annexa, quae sunt tantum Jure Ecclesiastico, ut est facultas absolvendi a reservatis; quia Papa potest sine causa valide, licet illicite, dispensare in his, quae sunt tantum Jure Ecclesiastico.

Dico 1. (Ibid.) Indulgentia, sine justa & rationabili causa concessa, non est rata quantum ad remissionem peccati Deo valide remittere jura, & unumquemque suum suum sine ejus voluntate saltem praesumpta; atqui Papa & Episcopi concedentes indulgentias remittunt jura Dei, sed dispensant in Jure divino; obligatio enim ad penam coram Deo secundum justitiam legem est Jure divini. Item res Dei distribuunt, nimirum satisfactiones Christi & Sanctorum, quarum non sunt Domini, sed Ministrum tantum & dispensatores. Deus autem non vult, jura sua remitti, & res suas dispensari sine justa & rationabili causa, quae cedat in sui gloriam & Ecclesie utilitatem: ergo.

In hac Conclusionem conveniunt omnes Theologi. Sed difficultas est levis: utrum ad validitatem Indulgentiae non solum requiratur justa & rationabilis causa, sed etiam proportionata quantitati Indulgentiae, ita ut non sufficiat quaecumque causa pia, sed requiratur magna causa pro magna Indulgentia, major pro majori? Negant plures antiqui, Durandus, Paludanus, S. Antoninus, Sylvester, & ut placet quibusdam, S. Thomas. Affirmant communiter Recentiores. Ad cujus difficultatis explanationem, saltem approximationem.

Observandum est cum Bellarmino 1. Causam justam Indulgentiae plerumque duo complecti, scilicet finem, propter quem conceditur Indulgentia, & opus, quod injungitur ad hunc finem consequendum. Finis debet esse talis, ut ejus assecutio magis placeat Deo, quam satisfactio, quae per Indulgentiam relaxatur. Tales sunt Infidelium conversio, Haereticum extirpatio, recuperatio Terrae Sanctae, pax & tranquillitas Reipublicae Christianae, exaltatio & utilitas S. Matris Ecclesiae, Basilicarum constructio, augmentum devotionis, aut cultus divini, vel alicujus Sancti in fidelibus, &c. Item quandoque causae privatae sufficiunt pro Indulgentiis privatis, ex quibus sequitur, saltem indirectè, commune bonum Ecclesiae, ut accerbitas doloris, mortis articulus, morbus, periculum animae; dicebat enim Apost. 2. Cor. 2. concedens indulgentiam Incessuoso, ne abundantiori tristitia absorberetur, id est, ne in desperationem eadè Inde enim commendatur benignitas & mansuetudo Ecclesiae, dejecti animo in spem eriguntur, ad Ecclesiam

siam facilis, & frequentius confugiunt, quae pertinent ab bono commune Ecclesiae. Opus autem injunctum non debet ita esse satisfactorium, ut plene compenset debitum peccati; alias Indulgentia non foret remissio, sed compensatio, seu commutatio. Neque etiam requiritur, quod sit valide meritorium, aut satisfactorium, vel difficile, & laboriosum, licet ista debeant attendi; sed sufficit, quod sit medium aptum ad finem Indulgentiae concessae consequendum. Sic assistentia Populi ad fores Ecclesiae S. Petri, dum Papa solemniter praesentibus benedicit in die Paschae, est secundum se quid leve, nec multum laboriosum; sed quia est medium valde aptum ad protestationem fidei de Capite Ecclesiae, & ad honorem Sedis Apostolicae, qui est finis Indulgentiae, quae in hac occasione conceditur, censetur sufficiens. Dixi, causam justam Indulgentiae plerumque completi opus injunctum; quia aliquando conceditur Indulgentia absque injunctioe operis, quando nempe assecutio finis Indulgentiae non pendet ab opere. Sic olim absque injunctioe operis concedebatur Indulgentia ad preces Martyrum, qui detinebantur in carceribus, & consumptionem Martyrii expectabant, ut fideles accenderentur ad martyrium, cum viderent tantum fieri preces Martyrum. Sic quondam abique injunctioe operis conceditur Indulgentia in articulo mortis hominibus de Ecclesia bene meritis; quia extrema necessitas juncta meritis praecedentibus absque novo opere videtur causa sufficiens, maxime cum inde excitentur fideles, ut bene mereantur de Ecclesia.

Observandum 2. Quod, quando Indulgentia datur in commune multis, non sit necesse, quod cujusque opus in singulari sit proportionatum fini Indulgentiae, sed sufficit quod opus omnium collectivè sit proportionatum. Unde si v. gr. concedatur Indulgentia pro obituenda pace inter Principes Christianos omnibus, qui quinque in tali solemnitate devotè recitaverint Pater, & Ave; qui vult singulorum preces seorsum sicut quid leve respectu hujus finis, omnium tamen preces simul sunt quod notabile. Similiter, si concedatur Indulgentia omnibus, qui conferent quatuor flores in constructionem Basilicae, cujuscumque summa singularis est quid leve; omnium autem summa est quid notabile, respectu constructionis Basilicae; & sic de ceteris. His observationibus positus, & attentè perpensis, non ita distant duae opiniones contrariae; ut tamen cum pluribus loquamur,

Dico 2. Juxta communem sententiam non sufficit ad validitatem Indulgentiae quaecumque causa pia, sed requiritur proportionata quantitati Indulgentiae. Prob. sequent. momentis. 1. Secundum omnes requiritur causa justa, & rationabilis; non est autem justa causa, si non sit proportionata; justum enim dicitur, quod est adaequatum, aut saltem proportionatum; neque est rationabilis; quia recta ratio non admittit aliquid improporcionatum. 2. Ille est infidelis dispensator, non solum qui sine causa bona Damini dispensat, sed etiam qui pro re levi magnos thesauros effundit. 3. Praelatus non potest valide sine causa proportionata dispensare in votis; quia obligatio votorum est Jure divini: ergo nec relaxare peccata, cujus obligatio est etiam Jure divini. 4. Si sufficeret quaelibet causa pia, nullae forent Indulgentiae indiscretae, & superfluae, cum semper adsit causa pia, puta sublevatio poenitentis a debito peccati: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Potestas conferendi Indulgentias fundatur in hoc, quod Christus dixit Petro Matth. 16. Quaecumque solveris, &c. ut dictum est supra; atqui hoc dictum est absolute, & sine restrictione ad causam expressa, C. s. s. intellecta, N. quia conditio, quae ex natura rei requiritur, etsi non exprimitur, debet tamen intelligi. Ex natura rei autem requiritur, quod concessio Indulgentiarum fiat ex causa proportionata, ut patet ex probationibus Conclusionis.

Inst. 1. Christus iisdem verbis promisit Petro potestatem absolvendi a peccatis, & concedendi Indulgentias; atqui, ad absolvendum a peccatis non requiritur alia causa, quam dispositio poenitentis, & ejus liberatio a peccatis: ergo pariter in Indulgentia. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in Sacramento Poenitentiae exerceatur justitia commutativa; Sacerdos enim ex una parte ponit peccatorem imponendo satisfactionem; quod pertinet ad justitiam commutativam, ut docuimus Dissert. 5. de Justitia art. 3. Ex altera parte peccator pro actus poenitentiae, scilicet dolore, confessionem, satisfactionem, resarcit jus divinum laesum; quod etiam pertinet ad justitiam commutativam, ut docuimus Dissert. 2. de Poenitentia art. 1. Ut autem justitia commutativa debet exerceatur, sufficit ipsi ratio intrinseca justitiae conformiter ad leges a Christo institutas, nec aliam causam extrinsecam requirit. At verò concessio Indulgentiarum pertinet ad justitiam distributivam honorum communium, quae

Theolog. Billuart Pars Tertia.

ideo debet exerceri non potest, nisi ex causa extrinseca spectante bonum commune.

Inst. 2. Ut eleemosyna sit actus virtutis, non exigit aliud motivum, quam sublevamen alienae miseriae; ergo similiter Indulgentia. R. N. Conseq. Disparitas est. 1. quod eleemosyna fiat ex bonis propriis, quorum quisque est dominus; Indulgentia vero ex bonis communibus, quorum Papa, aut Episcopus non est dominus, sed dispensator tantum, & oeconomus. 2. Eleemosyna est actus misericordiae tantum, cujus objectum motivum est sublevamen alienae miseriae; Indulgentia autem concessio est actus justitiae distributivae honorum communium, cujus motivum est bonum commune.

Obj. 2. ex usu Ecclesiae: 1. pro eadem causa quandoque minor, quandoque major datur Indulgentia: ergo. 2. Pro re levissima interdum datur Indulgentia maxima, ut patet in Indulgentia plenaria, quae datur abstrahens autè fore Basilicae S. Petri, dum Summ. Pontifex in festo Paschae populo solemniter benedicit: ergo. R. ad 1. N. Conseq. 1. Quia causa proportionata non consistit in indivisibili, sed admittit litem, sicut eadem potest esse proportionata majori, & minori Indulgentiae. 2. Aliquando datur Indulgentia minor pro causa, quae sufficeret majori, quae postea datur. 3. Causa, quae est minor uno tempore, potest esse major alio tempore. Ad 2. Patet solutio ex Observatione 1. ante Conclusionem. Quamvis enim hæc assistentia sit secundum se levis, est tamen gravis respectivè ad finem; quia est medium aptum ad illum consequendum, ut dictum est in observatione cit.

Obj. 3. Fundamentum, quo innituntur Indulgentiae, non est opus injunctum, nec illius finis, sed satisfactiones Christi, & SS. ergo, licet finis & opus injunctum non sint proportionata, valet Indulgentia propter superabundantem valorem satisfactionum Christi & SS. R. N. Conseq. Quamvis enim thesaurus Ecclesiae sit fundamentum & principalis causa Indulgentiarum, non excludit tamen alias condiciones necessarias, puta, auctoritatem in concedente, charitatem in suscipiente, ita nec motivum proportionatum.

Obj. 4. Juxta commune effatum, Indulgentiae tantum valent, quantum sonant, seu pronuntiantur: ergo, si Pontifex pro causa levi concedat in litteris magnam Indulgentiam, hæc debet esse rata. R. N. Conseq. Equidem Indulgentiae tantum valent, quantum sonant, sed positus conditionibus necessariis, scilicet, ut modo dicebam, auctoritate in concedente, charitate in suscipiente, & justitia in causa.

Restat difficultas non mediocri de mente S. Th. circa praesentem Conclusionem; videtur enim non parum favere sententiae oppositae. Unde

Obj. 5. S. Th. hic q. 25. art. 2. o. 1. ex professò impugnat eos, qui dicebant quantitatem remissionis in Indulgentia commensurandam esse secundum causam, pro qua Indulgentia datur; dicitque, id non posse salvare consuetudinem Ecclesiae, quae interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem Indulgentiam ponit. 2. Ibid. dicit, quod, quævis causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio faciendi Indulgentias; & paulo infra, quod sufficit ex parte causa pietas, quae comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem. 3. Ibid. ad 1. dicit. Si Praelatus inordinatè remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales Indulgentias, nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur. Hæc, fautor, urgent: verumtamen concilianda sunt cum his, quae alibi docet S. Doctor. Itaque infra q. 71. art. 10. ubi quaerit, an Indulgentia prosit mortuis, cum opposuisset in secundo argumento sed contra, quod si Indulgentia Defunctis prodesset, posset faciens Indulgentias pro suo arbitrio liberare animas a Purgatorio. Respondet in fine articuli sic: Nec tamen sequitur, quod Praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a Purgatorio liberare; quia ad hoc, ut Indulgentiae valeant, requiritur causa CONVENIENS Indulgentias faciendi, ut supra dictum est, scilicet q. 25. art. 2. & q. 26. art. 3. Per causam autem convenientem S. Th. intelligere, non solum causam piam, sed proportionatam, constat manifestè 1. quia id solum dicitur conveniens alicui rei, quod est ei proportionatum. 2. Quia, si intelligeret de quacumque causa pia, quae non sit proportionata, non prohiberet, quod intendit; cum enim nunquam desit summi, Pontifici causa pia, piam est enim liberare alicuius a miseria, posset saltem ex illo capite pro arbitrio liberare animas a Purgatorio. Item q. 26. art. 3. o. dicit: Potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere, quod vult, causa tamen existente legitima. Porro, si causam legitimam intelligeret quaecumque causam piam, non proportionatam, posset absolute, & semper facere quod vult; quia, ut modo dicebam, nunquam desit causa pia. Ut itaque secum concilietur S. Doctor,

R. ad 1. S. Thomam velle dumtaxat, quantitatem remissionis in indulgentiis non esse commensurandam causae secundum aquae

zqualitatem absolutam, bene tamen secundum proportionalem; & hoc salvat consuetudinem Ecclesie; quia zqualitas proportionalis admittit latitudinem, & humano modo zstimanda est, sicut pretia rerum. Unde una, & eadem causa potest esse proportionata majori, & minori Indulgentie, ut jam dixi supra. Ad 2. Per quancumque causam piam intelligit convenientem, ut exprimit q. 71. quia ibi se refert ad hunc articulum secundum q. 25. Sicut, inquit, supra dictum est. Ergo supra, id est hic, intelligit causam convenientem, quae est proportionata, ut probavimus. Ad 3. Per Indulgentias inordinatas non intelligit eas, quae dantur sine causa conveniente, & proportionata, sed quae nimis frequentes dantur: Ita, ut ait, quod homines quasi pro nihilo ab operibus penitentiae revocentur, quia nimirum sunt frequentiores. Et nisi sic intelligas S. Doctorem, vix ipsum cum ipso conciliare poteris.

Ceterum, ut ut valeant rationes pro, & contra, quas fateor nulla ex parte esse contemnendas, haec quaestio, positus observationibus, quas Conclusioni praemisit, non videtur quantum ad praxim esse tanti momenti, cum juxta dictas observationes vix possit dari Indulgentia pro causa pia, quae non sit proportionata. Adde, quod si prudenter a concedendo iudicetur causa sufficiens, quae tamen reipsa sit insufficientis, nihilominus, meo scilicet, & quorundam aliorum iudicio, valet Indulgentia; quia Dominus thesauri non censetur involuntarius, quando secundum Regulas prudentiae dispensatur. Denique non est particularium examinare causas Indulgentiarum, sed pro reverentia debita suis Praelatis debent supponere, eos motos fuisse causis sufficientibus, quas non tenentur semper declarare.

ARTICULUS V.

De requisitis ex parte suscipientis Indulgentiam.

Suppono, requiri in suscipiente indulgentiam, quod sit baptizatus, non excommunicatus; quia indulgentiae non conceduntur nisi membris Ecclesiae. Item, quod faciat opus inunctum, quia non conceditur indulgentia, nisi sub hac conditione. Sed ulterius.

Petes 1. Utrum suscipiens indulgentiam debeat esse in statu gratiae? R. quod debeat esse in statu gratiae, quando percipit fructum indulgentiae, consequenter quando adimplet ultimum opus inunctum; quia non dimittitur poena, nisi dimissa culpa, ex qua oritur restus poenae. Quod etiam verum est respectu peccati venialis. Unde, qui cum affectu ad aliquod peccatum veniale indulgentiae, etsi plenarie, lucranda vacat, illam non lucratur respectu ad istud peccatum veniale, cuius affectum retinet, sicque non lucratur integrè plenariam. Quod si forte prius peccatorum culpa sit dimissa, sed in novum mortale cadat, nihil etiam obtinet de indulgentia; quia, quando dicit in peccato mortali, est Dei inimicus; inimico autem ut talli nulla fit poenae remissio. Neque Pontifices aliam in se agnoscunt potestatem conferendi indulgentias, cum in Diplomatum semper apponant, *verè contritis, & confessis*.

Petes 2. Utrum alia opera inuncta praeter ultimum debeat etiam adimpleri in statu gratiae? R. probabilis, & communis negativè, nisi exprimat in Diplomate; modo tamen fiant, deposito affectu ad peccatum, & in spiritu poenitentiae. Prob. 1. Quandoquæ summi Pontifices praescribunt opera per plures hebdomadas praestanda. Sic Bonifacius VIII. Extravag. *Antiquorum* de poenit. & remiss. requirit visitationem Basilicae SS. Petri, & Pauli per 30. dies; Benedictus XIV. feliciter regnans in Jubilaeo praesentis anni requirit visitationes sive continuas, sive interpolatas quatuor Ecclesiarum per 15. dies intra semestrem. Est autem moraliter impossibile, quod toto isto tempore istae omnes visitationes passim ab omnibus fiant in statu gratiae. 2. Idem Bonifacius ibidem concedit indulgentiam plenariam ad praefatas Basilicas accedentibus, *verè poenitentibus, & confessis; vel qui verè poenitentibus, & confitebuntur*. In Jubilaeo anni 1666. & 1677. referente Sylvio, qui tunc vivebat, praescribebatur jejuniis feriis 4. & 6. & Sabbato, cum confessione praevia, vel sequente: Peccatores autem ordinari non justificantur, nisi per confessionem; 3. Ita apprehenditur sensus communis fidelium, qui ordinariè praesertim in Jubilis, praemittunt opera inuncta confessioni, & communioni, ut sic certius consequantur indulgentiam in statu gratiae. Et ita declaravit pro praesenti Jubilaeo idem Benedictus XIV. in Bulla *Consecratio*.

Neque dicas, opera facta extra statum gratiae esse mortua, & his Deum non placere: quia 1. indulgentia non nititur nostris meritis, aut satisfactionibus, sed satisfactionibus Christi, & SS. neque Pontifex illa requirit, tam ut satisfactoria, quam ut conditionis; ad quorum positionem confert indulgentiam vi primae concessionis. 2. Licet ista opera sint mortua hoc sensu, quod nihil mereantur pro vita aeterna; si tamen, ut dixi, fiant, deposito affectu ad peccatum, & in spiritu poenitentiae ex gra-

tia actuali Spiritus S. nondum inhabitantis, sed moventis, non sunt sic mortua, quin in talibus sint utilia; sunt namque imperatoris, satisfactoria de congruo, & disponenda ad gratiam, ut docuimus Dissert. 9. de Poenitentia art. 7. Concl. 2. Confer. Non etiam obstat, quod quandoque in Bullis confessio, & communio aliis operibus praemittantur; non enim ordo verborum semper habetur pro regula aequata ordinis operum.

Petes 3. Utrum satis sit facere opus inunctum quoad substantiam, ita ut indulgentiae consequendae non obstat, etiamsi ex fine, vel circumstantiis fiat peccatum veniale? R. si quoad substantiam factum concurrat ad finem intantum a concedendo Indulgentiam, videtur sufficere; secus, si non concurrat. Quia, licet concedi possint indulgentiae sine inunctione operis; quando tamen inungitur, censetur inunctum, ut suo modo concurrat ad finem intantum. Unde, si concedatur indulgentia eis, qui dabant nummum pro expeditione bellica, vel constructione Ecclesiae, videtur sufficere, si det nummum, etsi ex vana gloria. Si verò inunguntur preces, jejunia, eleemosynae ad placandum Deum, ad obtinendam conversionem infidelium, &c. non videtur satisfacere, qui jejunat, orat, aut dat eleemosynam ex vana gloria.

Petes 4. Utrum, qui opera praescripta devotè adimplet praesens toties quoties praescripta sunt, tantum participet de indulgentia, quam qui pluries, & devotius adimplet? R. quando, & ipsa indulgentia est determinata, & ipsum opus praescriptum determinatum, v. gr. si dicatur: qui devotè visitaverint hanc Ecclesiam decies, vel qui dederint aureum nummum in fabricam hujus Ecclesiae, lucrabuntur Indulgentiam 20. annorum, vel plenariam; probabilis mihi videtur, & Auctori conformis, quod, saepius, & devotius opus praescriptum perfecerit, licet plus mereatur, non tamen plus participet de indulgentia, quam qui devotè opus praescriptum, praesens ut praescriptum est, facit.

Prob. 1. ex Auctore, qui hic q. 25. art. 2. ad 4. dicit. *Ille, qui est vicinus Ecclesiae, & Ecclesiae Sacerdotes, & Clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi, qui veniunt a mille diebus, quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est, sed meritis, quae dispensantur: sed ille, qui plus laboraret, plus de merito acquireret*. Indubie major requiritur devotio ad conficiendum mille dietas, quam aliquot passus. 2. Qui opus praescriptum, praesens ut praescriptum est, devotè facit, nec plus, nec devotius, vel lucratur integram indulgentiam, qualis conceditur, vel non. Si primum, nihil ultra lucrari potest, qui devotius, & pluries opus facit. Si secundum, Pontifices enormiter decipiunt fideles, dum dicunt: qui tale opus toties devotè fecerit, lucrabitur tantam indulgentiam; cum, qui faciunt, ut praescribitur, non lucratur tantam, sed quod minus. 3. Sic apprehendit sensus communis fidelium, ut, qui omnia opera praescripta eo modo, quod praescripta sunt, adimplet, totam indulgentiam participet: quod si aliquid plus necessarium fuisset, id expressisset Pontifex, sicut alia expressit; ut quid enim requireret tantum quinque, si necessarium sit decies? Ut quid exprimeret tantum devotè, si devotius, & devotissimè requiratur ad totam indulgentiam? Hic, inquam, est sensus communis fidelium, qui est optimus hujusmodi concessionum interpres, ut jam diximus.

Dices, hanc conditionem esse ex natura rei necessariam; conditionem autem ex natura rei necessariam non debere exprimi, ut dictum est de causa proportionata. R. N. Ant. 1. Quia omnino gratis, & sine ullo fundamento asseritur. Pari jure dicam, esse ex natura rei necessariam, omnia opera inuncta fieri in statu gratiae: nempe necessarium esse ex natura rei propositum satisfaciendi per se; quae tamen plerumque negant nobiscum adversarii.

Si dicas, suscipientem ex natura rei debere per opus inunctum concurrere ad consequendum finem indulgentiae, & ad illum accedere. R. hoc dato, & non concesso, ut mox patebit, suscipientem, & ad hunc finem concurrere, & ad illum accedere, ut debet, faciendo opus devotè, ut praescriptum est, nec plus requiri a Pontifice.

2. Falsitas primi Ant. patet ex hoc, quod non semper inunguntur opera. Sic olim concedebantur Indulgentiae ad preces martyrum absque inunctione operis. Sic nunc etiam saepe conceduntur indulgentiae in articulo mortis sine inunctione operis.

Opponunt insuper extravagantem: *Antiquorum* de poenit. & remiss. in qua Bonifacius VIII. concedens indulgentiam plenariam Romanis, qui in anno Jubilaei 1300. visitabant per 30. dies Basilicas SS. Petri, & Pauli, & extraneis per 15. dies, addit: *Unusquisque tamen plus merebitur, indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit*. Ille autem, inquit, efficacius consequetur indulgentiam, cui plus poenae remittitur. R. 1. Bonifacium non dicere se absolute concedere indulgentiam plenariam omnibus visitantibus per 30. vel 15. dies praefatas Basilicas; sed dicit

duntaxat, quod hi, qui voluerint hujusmodi indulgentiae participes fieri, debeant has visitationes peragere: *Statuentes, inquit, ut, qui voluerint hujusmodi indulgentiae a nobis concessae participes fieri, si fuerint Romani, ad minus 30. diebus, &c.* Deinde addendo clausulam ut in instantia manifestè significat se non absolute determinasse 30. vel 15. visitationes ad lucranda integram indulgentiam, sed tantum ad participandum de illa. Hoc autem speciale est huic Bullae, quod non debet trahi in exemplum pro aliis, in quibus similia non leguntur. 2. Falsum est *To Efficacius* semper significare ampliolem effectum; ille enim in proprietate sermonis dicitur efficacius aliquid obtinere, qui potentiori virtute, & certius illud idem obtinet. Sic dicimus, intercessionem B. Mariae Virginis esse efficacioram ad obtinendam unam, & eisdem gratiam, quam oratio alicujus alterius Sancti; quia vis, & valor ejus intercessionis est potentior, quam quavis alia.

Dixi in responsione, quando, & ipsa indulgentia est determinata, & opus praescriptum determinatum; quia, si opus sit indeterminatum, v. gr. dicatur: qui visitaverit hanc Ecclesiam, vel qui conferet aliquid in constructionem hujus Basilicae, lucrabitur indulgentiam centum dierum; videtur, quod, qui frequentius visitabit, aut majorem summam conferet, plus de indulgentia participavit; quia tunc opus praescriptum patitur latitudinem, intra quam verificari possunt verba concessionis, absque eo quod omnes aequaliter participant. Atque ita sentit Auctor hic q. 25. art. 2. ad 3. *Quando, inquit, datur indulgentia indeterminata, quae dat auxilium ad fabricam Ecclesiae intelligitur tale auxilium, quod sit convenienter ei, qui dat auxilium, & secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur*. Idem videtur dicendum, si ipsa indulgentia sit indeterminata, ut si dicatur: qui decies visitaverit hanc Ecclesiam, vel qui dederit nummum in fabricam hujus Ecclesiae, lucrabitur indulgentiam; quia, quando gratia indeterminate conceditur ad positionem alicujus operis, sensus est, quod plus de gratia participat, qui saepius opus facit; sed vix usus est similis indulgentiae.

Petes 5. Utrum ad consequendam indulgentiam requiratur in suscipiente propositum, & sollicitudo per se propriis laboribus satisfaciendi? R. negativè. Est communior contra Cajetanum. Ratio est; quia nihil obstat, quominus homini in gratia existenti, qui omnia opera praescripta ritè adimplevit, communicetur fructus indulgentiae; nec Pontifices, qui contritionem, & confessionem praescribunt, unquam requirunt propositum per se satisfaciendi. Unde decipiantur fideles, si ista conditio, de qua nunquam monentur, requiratur.

Dices, qui potest per se satisfacere, & non satisfacit, est indignus, cui concedatur Indulgentia: ergo. Prob. Ant. 1. Non debet petere ab amico, ut pro te satisfaciatur, cum possis per te satisfacere. 2. In Republica bene ordinata non distribuuntur bona publica eis, qui gravantur aere alieno; si per se possunt solvere. 3. Indulgentiae conceduntur verè poenitentibus; ille autem non est verè poenitens, qui non vult facere dignos fructus poenitentiae. 4. Is, cui Sacerdos inungit poenitentiam, vel eam accipit animo adimplendi, vel non: si primum, habet propositum satisfaciendi; si secundum, fallaciter agit, & est indignus Indulgentia. 5. S. Cyprianus rogabat Martyres, ne commendarent Episcopis pro consequenda Indulgentia, nisi ens, quorum poenitentiam satisfactioni proximam contingerent: ergo. Ita ferè Cajetanus. R. N. Ant. Qui enim potest per se satisfacere, & non satisfacit, quia expectat aliunde satisfactionem, non est positivè indignus, modo sit paratus satisfacere per se, si non essent Indulgentiae. Quod si forte sit non dignus, nihil obstat, quia Indulgentiae conceduntur ex misericordia, & liberalitate. Ad 1. Probationem. Non est indecens, nec injuriosum amico ab eo petere, non ex justitia, sed ex gratia, quod tu potes praestare, maxime si eo non indigeat. Ad 2. Disparitas est, quod aere publicum sit finitum, & tantum decrescat; quantum ex illo extrahitur. Unde per se non debet distribui illi, qui non indigent, cum inde damnum sequatur indignitatem. At thesaurus Ecclesiae est infinitus. Insuper, quamvis per se non debeat distribui bonum publicum illi, qui possunt per se solvere, posset tamen incurere occasio, in qua id esset utile Republicae, puta, si is, cui distribuitur, optime sit meritis de Republica, aut ab eo expectantur obsequia multum utilia Republicae, vel aliter. Ad 3. Ille est verè poenitens, qui est verè contritus, cum animo satisfaciendi, nisi aliunde pro eo satisfiat. Ad 4. Non est hic propriè quaestio de poenitentia inuncta a Confessario, quam semper esse adimplendam diximus art. 1. sed de poenitentia praeter sacramentalem spontè susceptis, proportionatae ad gravitatem, & multitudinem peccatorum. Sed, etsi ageretur de poenitentia inuncta, poenitens cum accipit animo adimplendi, nisi possit aliunde ab illa liberari. Ad 5. S. Cyprianus loquebatur juxta rigorem antiquae disciplinae, quae nunc amplius non viget: eo enim fine benigna Mater Ecclesia frequentius coepit concedere Indulgentias.

Theolog. Billuart Pars Tertia.

tias, cum fideles tepidiores, & ad implendas graves poenitentias negligentiores effecti sunt.

Petes 6. Utrum ad indulgentiam consequendam adhibenda sit Confessio sacramentalis? R. Si in concessione requiratur ut pars operis inuncti, adhibenda est etiam ab eo, qui est in statu gratiae. Pater ex se. Si requiratur tantum ut dispositio ad statum gratiae, non est adhibenda nisi ab eis, qui sunt in statu peccati mortalis; censetur enim Pontifex respectu illorum illam requirere, ut certius justificentur. Verum, quia est difficile discernere, quando in Diplomatum requiritur ut pars operis inuncti, vel ut dispositio tantum, consultum est eam semper adhibere, quando scilicet exprimitur in litteris concessionis; secus, si non exprimat.

Petes 7. Utrum, qui partem operis praescripti implevit, & propter morbum, allamve justam causam, residuum implere non potest, lucratur indulgentiam? R. negativè, nisi ita concesserit Pontifex, vel nisi ex ejus concessione Confessarium habeat facultatem dispensandi, vel residuum in aliud opus commutandi; quia, quod datur sub conditione, non valet, nisi adimpleta conditione.

Petes 8. Utrum, qui facit opus praescriptum sine intentione lucranda indulgentiam, puta, quia nescit, aut oblitus est ei esse annexam indulgentiam, illam lucratur? R. probabiliter negativè, quia debet dirigere opus praescriptum in finem a concedente indulgentiam intantum; quod facere non potest ignorans, aut oblitus, huic operi esse annexam indulgentiam. Id tamen non impedit, quominus possit concedi indulgentia sensibus alieno, & morituro, sine inunctione operis; sicut enim potest quis applicare satisfactiones suas, aut aliter beneficiare ignorantem, ita potest Pastor Ecclesiae applicare satisfactiones Christi, & Ecclesiae sensibus alieno.

Petes 9. Utrum, translato festo, transferatur indulgentia ei annexa. R. Si solum officium transferatur, & non solemnitas in populo, indulgentia non transferatur. Sic, si festum Annuntiationis incidens in hebdomadam Sanctam celebretur in populo, & officium tantum transferatur post Pascha, non transferatur indulgentia; quia indulgentia videtur annexa solemnitati; & alia multi fideles de populo, qui ignorant rubricas de Translatione festorum, frustrarentur fractu indulgentiae. Unde censetur, hanc esse mentem Pontificis. Si verò transferatur solemnitas festi in populo, transferatur, & indulgentia, propter eandem rationem; quia indulgentia videtur annexa solemnitati festi in populo. Idem videtur dicendum de festis Religionum, quibus annexa est indulgentia. Ita expressè statuit Leo X. de festis Ordinis nostri, SS. Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino, Vincentii, & Catharinae Senensis, his verbis: *Volumus, ut, quoties dictarum festivitatum, & octavarum earumdem celebrationes, qualibet ex causa, etiam extra tempus interdicti, transferentur, etiam indulgentiae, dictas Ecclesiis in festivitatis hujusmodi, & per earum octavas visitantibus pro tempore concessae, ad tempus celebrationis hujusmodi sint & censentur translate*. Haec Bulla extat in Bullario Ordinis FF. Praed. tom. 4. pag. 371.

Quod confirmatur ex Brevis a Gregor. XIII. die 20. Augusti 1580. FF. Minimis concesso, & a P. Laurentio de Parynis ejusdem Ord. Tom. 2. n. 8. pag. 223. relato, in quo haec leguntur. *Cum Festum S. Francisci de Paula... post Octavam Resurrectionis D. N. J. C. transferri soleat, & propterea in dubium verti posset, an eadem indulgentia die, quo ipsum festum transferri contigerit, ab eisdem Christi fidelibus consequi valeat; Nos... harum serie volumus, & declaramus, ut dicta indulgentia ad eum diem, quo festum ipsum, ut praesertim, transferri, & post octavam ejusdem Resurrectionis celebrari contigerit, translata esse censetur*. Declaratio autem non facit novum jus, sed antiquum explicat. Quidam excipiunt a Responione, si in concessione indulgentiae exprimat dies, ut si dicatur: Concedimus indulgentiam die Festo Sancti N. quanta talis mensis: tunc enim existimant, indulgentiam esse annexam diei assignatae, & non Festo; ideo translato Festo non transferri indulgentiam. Id quidem non est improbabile; posset tamen responderi, indulgentiam ratione Festi, non diei esse concessam, sicque debere sequi festum.

ARTICULUS IV.

De Indulgentiis, quae applicantur Defunctis.

Petes 1. Utrum indulgentiae possint applicari, & prodesse Defunctis? R. affirmativè, (*Suppl. q. 71. art. 10. o.*) si sic exprimat in Diplomate concessionis: quia fideles privati possunt applicare Defunctis in Purgatorio suffragia sua, & suas satisfactiones ea ratione, quod sint unius corporis mystici membra, vinculo charitatis colligata: ergo eisdem ratione summus Ecclesiae Pastor potest eis applicare satisfactiones Christi, & SS. de thesauro Ecclesiae. Confirm. Potest Pontifex applicare in-

indulgentias vivis, quidam & defunctis (licet diverso modo, ut mox dicam) cum sint ejusdem corporis membra? Unde Auctor loco cit. in margine, *Non est, inquit, aliqua ratio, quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus Indulgentia imituntur, in vivos, & non mortuis.* Prob. 2. ex usu, & Traditione Ecclesie. Paschalis I. in eodem saeculo 9. ut refert Gabriel Lect. 57. in Canonem Missae, concessit indulgentiam pro Defunctis, quae habetur in Ecclesia S. Praxedis. Similiter Sixtus IV. & Innocentius VIII. teste eodem, concesserunt indulgentias pro Defunctis. Frequenter postea idem concesserunt summ. Pontifices. Consentiant antiqui Theologi, S. Thom. S. Bonav. Richardus, &c.

Dixi: *Si sic exprimat in Diplomate concessionis:* Quia nullus privatus potest alteri sive vivo, sive Defuncto applicare indulgentiam, nisi ex concessione summ. Pontificis; quia ipse solus est dispensator thesauri Ecclesie, cui imituntur indulgentiae. Unde, nec id potest Episcopus.

Dices. Potestas concedendi indulgentias fundatur in his Christi verbis Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, &c.* Et in his Joann. 21. *Pasce oves meas;* atqui neutrum verificari potest de animabus in Purgatorio: non enim sunt super terram, neque oves commissae Pontifici: ergo. R. D. Ant. Potestas concedendi indulgentiam vivis per modum iudicialis absolutionis fundatur in his verbis Christi: *Quodcumque, &c.* C. Potestas concedendi indulgentiam Defunctis per modum suffragii, & simplicis solutionis oblatæ, ut mox dicemus, N. fundatur enim hæc potestas in communione membrorum unius corporis Mystici, & in usu Ecclesie. Neque etiam obstat cap. *Quod autem de Penit. & Remiss.* ubi dicitur, indulgentias non remitti nisi iis, qui subsunt remittenti; ibi enim agitur de indulgentiis concessis vivis per modum absolutionis, non defunctis per modum suffragii. Unde.

Petes 2. Quomodo applicentur, & prosunt indulgentiæ Defunctis? R. non applicari, nec prodesse per modum absolutionis, sed, ut communitur dicitur, per modum suffragii. Prob. 1. pars. Quia summ. Pontifex non habet amplius iudicialiam potestatem in Defunctis c. 1. cap. *Legatur, & cap. Nec quisquam* 24. q. 2. Et patet, quia summ. Pontifex non potest citare Defunctos, eorum causas cognoscere, nec eos cogere ad obediendum. Item non habet potestatem iudicialiam, nisi in oves, quas in persona Petri suscepit pascendas, Joann. 21. Defuncti autem non possunt amplius pasci a summo Pontifice. Unde summ. Pontifices, cum extendunt indulgentias ad Defunctos, semper appointunt particulam *per modum suffragii:* ergo.

Dices 1. Ecclesia excommunicat, & absolvit ab Excommunicatione Defunctos. 2. In his verbis: *Quodcumque solveris super terram, &c.* Tò *super terram,* non refertur ad eos, qui solvuntur, sed ad eum, qui solvit; ita ut sensus sit: *Quodcumque solveris tu, qui es super terram, erit solutum a me, qui sum in caelis.* 3. Defuncti sunt adhuc viatores: ergo & oves. 4. Episcopus, qui confert Beneficium Clerico non sibi subdito exercet actum Jurisdictionis, & collatio est valida: ergo similiter. R. ad 1. Excommunicationem, & absolutionem ab Excommunicatione in mortuos non esse propriè Excommunicationem, & absolutionem, sed declarationem sententiæ, quam subire debuissent, dum viverent, & concessionem quamdam factam fidelibus, ut pro ipsis offerant suffragia, aut prohibitionem offerendi. Ad 2. Gelasius Papa Can. *Legatur* 24. q. 2. refert Tò *Super terram* ad eos, qui solvuntur; sed esto referatur ad eum, qui solvit, debet semper intelligi circa eos, qui ipsi subdantur, alias posset solvere & beatos, & damnatos. Ad 3. Defuncti in Purgatorio sunt viatores secundum quid, quatenus nondum adepti sunt terminum; & idèd possunt juvari a viventibus. At non sunt idèd oves visibiles, quales Petrus pascendas suscepit, cum eis nec Doctrinæ pabulum præbere possit. Ad 4. Episcopus exercet actum jurisdictionis in Beneficium, non in Clericum extraneum. Similiter summ. Pontifex exercet actum jurisdictionis in thesaurum Ecclesie non in ipsos Defunctos. Valeat autem collatio; quia ad hoc non requiritur potestas iudicialis, & contentiosa, qualis requiritur ad absolutionem a peccatis,

quam supremus Princeps imposuit.

Restat itaque, quod indulgentiæ applicentur, & prosint Defunctis per modum suffragii, & auxilii, quæ est 2. Pars Responsionis. Quod ut intelligas, distingue triplex suffragium, seu auxilium, unum meritorium, alterum impetratorium, tertium satisfactorium; & hoc ultimum hic intelligitur. Unde applicare indulgentias Defunctis per modum suffragii est offerre Deo satisfactiones Christi, & SS. in solutionem, seu compensationem peccatorum, quas debent pati in Purgatorio.

Petes 3. Utrum Deus tenetur ex justitia, seu certa lege acceptare indulgentias applicatas Defunctis? R. Negativè, quia ad hoc nullibi se obligavit. Iudex autem supremus non tenetur acceptare commutationem poenæ sibi debiti, nisi ad id promissione se obligaverit. Neque obstat promissio Matth. 16. *Quodcumque solveris, &c.* Hæc enim spectat vivos dumtaxat, quibus applicatur indulgentia per modum absolutionis. Grauitò ergo, & misericorditer acceptat Deus Indulgentias applicatas Defunctis: ea tamen acceptatione posita intervenit justitia, quia satisfactiones de thesauro Ecclesie sunt justa compensatio, & de condigno poenarum, quas defuncti pati debent in Purgatorio. Hinc interer, saltem probabilis, indulgentias applicatas defunctis non semper habere certum, & infallibilem effectum; cum enim Deus ex mera misericordia, & liberitate acceptet, non constat eum illas semper acceptare sive in toto, sive in parte. Et hic est sensus communis fidelium, qui, applicata indulgentia plenaria alicui defuncto, puta, sacrificium in Altari privilegio, nihilominus pro illo offerre alia sacrificia, & orationes pergunt.

Dices 1. S. Thom. hic q. 71. art. 10. o. probat, Pontificem non posse pro arbitrio animas a Purgatorio liberare; non quia indulgentiæ illis applicatæ non infallibiliter illis prosunt, sed quia Pontifex non potest eas illis applicare sine causa conventiendi. R. S. Doctorem attulisse rationem sufficientem ad probandum, quod intendebat; sed unam asserendo, non negavit alteram, nec erat necesse, quod utramque efferret.

Inst. Q. 25. art. 2. nullam facit distinctionem quantum ad efficaciam indulgentiæ, vivis, & defunctis concessæ. R. S. Thom. ibi mentionem non facere de indulgentiis concessis Defunctis, de quibus agit tantum q. 61. Quapropter 1. loco intelligendum est de indulgentiis vivorum tantum.

Dices 2. Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; sonant autem liberationem animæ. R. id esse verum de indulgentiis concessis viventibus per modum absolutionis.

Inferes. Ergo summ. Pontifex decipit fideles. R. N. illationem; sed Pontifex concedit quantum potest, supposita acceptatione divina.

Dices 3. Oratio Ecclesie, positus omnibus requisitis, semper exauditur. R. 1. D. Si ita congruat consiliis divinæ Providentiæ, C. secus, N. Indulgentiæ non applicantur Defunctis per modum orationis, sed per modum solutionis.

Petes 4. An indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus personis determinatis, prosint omnibus? R. omnibus prodesse quoad consolationem, & gaudium quoddam accidentale, quod charitate uniti concipiunt de bonis aliorum, ac si essent proprii. Quoad satisfactionem autem, & liberationem a poena prosunt tantum illis, quibus applicantur. Hic est sensus fidelium, & natura satisfactionis, ut pro uno facta illi specialiter prosit, & non alteri. Quod si ille, cui applicatur, non indigeat, Deus applicat alteri, vel redit in thesaurum Ecclesie.

Petes 5. Utrum, qui lucratur indulgentias pro Defunctis, debeat esse in statu gratiæ? R. Si opus iunctum requirat statum gratiæ, ut Confessio, Communio, ad illum tenetur. Si autem opus iunctum non requirat statum gratiæ, non videtur ad illum teneri; quia ipse non percipit fructum indulgentiæ, seu remissionem poenæ, sed alter. Neque dicas, ipsum non posse indulgentiam alteri applicare, nisi prius eam faciat suam; facit enim suam non accipiendo eius effectum, sed potestatem eam alteri applicandi, ad quod non requiritur status gratiæ, sicut nec in concedente indulgentiam.

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

D. Thom. Suppl. a Q. 29. ad Q. 34.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE EXTREMA-UNCTIONE

EX CONCILIIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.)

Canones Concilii Tridentini (Sess. 14. 25. Novembris 1551. sub Julio III.) de Extrema-Untione.

Quintum Sacramentum est Extrema-Untio; cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis unguendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti est hæc: *Per istam Untionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti pro visum, &c.* Et similiter in aliis membris. Minister huius Sacramenti est Sacerdos. Effectus verò est mentis sanatio, & in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento, inquit beatus Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

I. **S**i quis dixerit, Extremam-Untionem non esse verè & propriè Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut signum humanum; anathema sit.

II. **S**i quis dixerit, sacram infirmorum Untionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curatio; anathema sit.

III. **S**i quis dixerit, Extremæ-Untionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, idèdque eum mutandum; posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

IV. **S**i quis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum unguendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etate seniores, in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Untionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

DISSERTATIO UNICA.

COMPLECTENS OMNIA, QUÆ HOC SACRAMENTUM SPECTANT.

Multæ sunt Untiones in Ecclesia. Prima est Baptizandum, seu Catechumenorum in pectore & scapulis. Secunda est Baptizandum in vertice. Tertia est Confirmandum in fronte. Quarta est Sacerdotum in manibus, dum ordinantur; & Episcoporum in manibus, & in capite. Quinta in altaris, Ecclesie, & Calicis consecratione. Sexta, & ultima Infirmorum, in partibus quinque sensuum exteriorum; & idèd dicta *Extrema-Untio*.

Variis nominibus insignitur hoc Sacramentum. Apud Latinos dicitur *Sacramentum exeuntium, Untio sacri olei, communiter, Extrema-Untio.* Apud Græcos, *Sanctum oleum, Oratio Untionis olei conjuncta.* Definiri potest: *Sacramentum unctiois Infirmorum, ad salutem animæ & corporis facta per Sacerdotem sub certa verborum forma.* Patebit ex dicendis.

ARTICULUS I.

Utrum Extrema-Untio sit Sacramentum?

Bellarminus & quidam alii, post Guidonem Carmelitam, & Aeneam Sylvium, inter Hæreticos negantes Sacramentum Extremæ-Untionis recentent Valdenses & Vicleistas. At, juxta illustrissimum Bossuetum in Historia Variationum, Gasparum Juein, & alios, hi non negarunt, sed contempserunt dumtaxat hoc Sacramentum, eo quod tunc quidam Presbyteri ex avaritia illud non nisi divitibus, aut mediante pretio, administrarent. Sed, quidquid sit de istis, certò constat, Lutheranos, & Calvinistas negare Extremam-Untionem esse Sacramentum, eosque contendere, Untionem, de qua Marci 6. & Jacobi 5. nihil aliud operatum fuisse, quam corporis sanitatem; & eam, cessante in primitiva Ecclesia gratia curacionum, exolevisse. Unde Calvinus l. 4. instit. c. 19. vocat Extremam-Untionem Sacramentum fictitium, & historiam hypocritarum; contra quos

Dico. (Suppl. q. 29. art. 1. o.) Extrema-Untio est verè & propriè novæ Legis Sacramentum. Prob. 1. (Ib. & in a. s. c.) Ex Scriptura. Jacobi 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit remittentur ei;* atqui in his verbis habemus signum sensibile gratiæ a Christo permanentè institutum: ergo verè & propriè dictum Sacramentum. Prob. Min. Untio & Oratio per Presbyterum sunt signum sensibile, utique materia & forma huius Sacramenti; gratia designatur his verbis: *Salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio permanens, etsi non exprimitur, apertè colligitur; partim quia mandatum Jacobi dirigitur non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes Ecclesias sine ulla limitatione locorum, aut temporum, consequenter ad nos nunc non minus quam ad eos, qui tunc erant; sicut alia, quæ ibidèd præscribit & præfert, ut, *Patientes estote; nolite jurare; tristatur quis ex vobis, oret; orate pro invicem, ut salvemini, &c.* quæ spectant omnia tempora, & omnes fideles præsentis & futurorum: partim quia ab Apostolorum tempore hæc institutio semper fuit in Ecclesia observata, ut mox dicemus. Quid huic auctoritati respondeant Hæretici, exponemus & diluemus in sol. Object.

Non pauci conclusionem probant ex c. 6. Marci, ubi dicitur de Apostolis: *Et ungebant oleo multos ægros, & sanabant;* contenduntque eo loci agi de Untione, de qua Jacobi 5. & esse sacramentalem. Ità Alphonsus a Castro, Thomas Valdensis, Maldonatus, Catarinus, & alii. Hanc sententiam multis argumentis etiam ab auctoritate quorundam Patrum, & Scholæ principum S. Thom. Bonav. Scoti, Hugonis Vict. ut probabilem propugnat novissimus, & eruditissimus Scriptor Laurentius Berti, non ingrèdè legendus. Communior tamè Sententia est, has unctiones esse distinctas, & eam, de qua Marci 6. esse tantum ad sanitatem corporum, atque adèd non esse sacra-